

QUÆSTIO VII.

Quare in hac exhortatione diligendi inimicos Christus se declarat autorem, non iubendo, sed dicendo?

33. At Christus D. in præsentibus: diligite inimicos vestros. Multorum est sententia, nullum hic esse speciale præceptum diligendi inimicos, quod aliis non sit contentum sub præcepto charitatis, vel misericordiae, ac proinde quod hic non est speciale præceptum diligendi inimicos, sed tantum consilium: sive ergo sit præceptum generale, sive speciale, ut alii volunt, saltem studiosè inquirendum est, cur Dominus abstinere, à verbo iubendi, vel mandandi; ut alibi dixit: Hac mando vobis Ioan. 15. n. 17.

Joan. 15. 34. Quæstionis prima pars inquit, cur Christus Dominus in præsentibus ait: Ego autem dico vobis; & non potius, hæc mando vobis, à verbo mandati hic abstinuit, ut alibi est usus, quia consilium, nutus, ac insinuatio superioris efficacius obligat comitatem subditi, quam exercitium, ac impositum mandatum, nam ipsa suavitas, ac lenitas dicendi, & proponendi, fortius domat, ac attrahit voluntatem subditorum, quam dura, & austerà iubendi verba, quia hæc irritant auidios, illa verò suavitas, ac lenitas demulcet, & etiam ad difficilia allicit, & inclinât, ut inimicorum dilectio multis videri poterat: at amicorum dilectionem, quæ facilis & prompta est, mandatum proponit.

Joan. 15. Hac mando vobis ut diligatis invicem, secus ubi de difficili dilectione inimicorum est sermo, non præceptiva voce, sed suavi, & dulci dicendi utitur.

35. Post hominem creatum posuit eum Dominus in Paradiso voluptatis: Præcepit ei dicens: ex omni ligno paradisi comede, de ligno vero scientiæ boni & mali, ne comedas: Genes. 2. n. 19. Merito addubitat Hugo Victorinus in suis annotationibus, an in his verbis contineatur unum, vel duplex præceptum, & ait: Hoc solum est præceptum: de ligno scientiæ ne comedas, quod autem præmittitur, ex omni ligno paradisi comede, permissio est. Et primum blanditur permitendo, post durus locutus in prohibitione: Valde arduum, & difficile est homini se uno dumtaxat præcepto astrictum videri, ideo supremus omnium legislator, concessa omnium fructuum facultate præceptioni blanditur, ut amplæ indulgentiæ lenocinio Adamum ad obedientiam unus præcepti suborneret, ob magnificæ permissionis blandimentum; & ideo prius blanda permissione eos disponit, & allicit ad implendum præceptum imponendum.

39. Secundò inquit quæstio: Cur non tantum Christus D. ait, Diligite inimicos vestros, sed ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Cur hic signatè suam personam exprimit: Ego autem: Auctoritas præcipientis ad quæque difficilia adimplenda, ac exequenda multum allicit. Quis enim recuset, ac se neget tanti Domini præcepto: D. Nazianzen. de præcepto. ad Virg.

39. Auctoritas dicentis multum movet. D. Nazian. Virg.

nexu sociantur amico.

Ignis, aqua & oënni Christi contraria iussu. Maxime inter se sunt contraria, ac repugnantia ignis, & aqua; sed dum Dei præceptum instat, sub tanti Domini iussu, nexu sociantur amico, ut quilibet in suo loco, suaque sphaera se contineat.

37. Post mortem Iacob timentes ejus filii, ne aliquod malum à Joseph eis inferendum foret ob ejus venditionem factam in Ægyptum, simul illi convenientes mandant ei dicere: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris scelus fratrum tuorum: Genes. 50. n. 26. cur commemorant verba Patris demortui, & non potius verbum promissum ab ipso Joseph, quod nil timerent, cum Dei consilio illuc missus esset, pro eorum salute, ac vita reservanda: nam cum ipse manifestaretur fratribus suis, dixit eis, Genes. 45. n. 5. Nolite pavere: pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum: & iterum n. 7. Præmisitque me Deus, ut referremini super terram ut escas ad vivendum habere possitis: Nil efficacius ac fortius principi, ac viro generoso, quam verbis suis stare, ac datam fidem adimplere, cum valde ignominiosum sit illam frangere. Cur ergo non verbum datum à Joseph, sed Patris demortui verba annunciant, pro certo statuentes, quod & si fortiter compellatur vir generosus, ne à verbo suo resiliat, multo tamen fortius, ac efficacius movet autoritas dicentis, ne quis audeat repugnare, ac contradicere: nam & si ex ingenuitate sua princeps verbo suo astringatur; tamen autoritate discantis multum crescit verbum, ut vehementer alios impellat, & trahat in suam sententiam.

Plus obligat auctoritas dicentis, quam promissio viri nobiliss.

QUÆSTIO VIII.

Quare Christus D. tantis commendat nobis inimicorum dilectionem?

38. At Christus D. in præsentibus: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persecutoribus, & calumniatoribus vos, ut sitis filii patris vestri. Ex quibus satis liquet, quantis commendat Dominus hanc dilectionem; quod satis explicavi citato cap. 14. à q. 15. & deinceps per multas quæstiones. Adde hoc.

39. Primò: Ex D. Leone serm. 8. de Epiphania, cap. 3; si dilectionem Dei, & proximi toto corde in mente repetierit (scil. Deus Pater) inane etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis hujusmodi est Deum, & rectorem; & habitorem sui esse non dubitet.

Quid nobiliss & excellentiss, quam peculiariter Deum sui habere Rectorem, ac habitorem animæ suæ, in eaque sedem ac sui habitaculum constituere, tantum ex inimicorum amore lucraris; si verò ille tui amoris indignus fuerit: audi D. Chrysostomum homil. 19. comparas. in Epistola ad Hebræos: Quid ergo, inquis, si sit indignus? tanto major erit & merces: pro malignitate sua debes illi gratiam: non secus, quam si impendisset tibi multa millia beneficio- rum,

rum. Si enim non esset valde malus, neque tibi merces valde concretesceret.

40. Hugo. Secundò: Hugo Cardinal. Diligite inimicos vestros. Diligendi sumus propter nos, quia utiles nobis, quia ducunt nos ad portum, quia debita nostra persolvunt. Benefacite his, qui oderunt vos. Si benefeceris inimico, tibi amplius fecisti: Orate pro persecutoribus, & calumniatoribus vos. Ille suas preces multum invalescere facit, qui eas pro inimicis effundit: Ecce quam fortiter, & valide invalescunt preces pro inimicis oblatæ, quod enim pro illis devotè exoptamus, nobis cumulât, ac feliciter exoptamus. Multum ad beneficium invalescit, quod superabundanti copia in rogatores exuberat: Si benefeceris inimico, tibi amplius fecisti: & oratio tua in sinum tuum exuberantiter convertitur; sic ad gratiarum redundantiã invalescit oratio votivè pro offensoribus exhibita. Et ita inimici debita nostra resolvunt: nam dum nos illis debita condonamus, & veniam pro eis deprecamur, tunc oratio nostra ita in sinum nostrum revertitur, ut & debita nostra coram Deo relaxentur, & veniam nobis inde deprecamur: ergo orate pro persecutoribus, & calumniatoribus vos; quia ille suas preces multum invalescere facit, qui eas pro inimicis effundit.

41. Oratio pro inimicis multa bona comparat. Quod optimè nos docet Regius Vates Psalm. 34. n. 13. Ego autem cum mihi molesti essent indubar cilicio, humiliabam in jejuniis animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur: Cum inimici mei mihi essent molesti suis opprobriis, & contumeliis, ego pro eis rogabam jejuniis, & cilicio; & quid inde consequeretur: & oratio mea in sinu meo convertetur: Chaldaeus: in peccatis meis convertetur. Ad meam, nempe, animam magno fructu revertetur. Juxta illud Christi Luc. 10. num. 6. Quod Discipuli domum ingredientes, dent pacem: Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos revertetur. Ad citatum locum Psalmi Didymus in catena Græca: Orat, nempe pro eis, & oratio ad ipsam convertitur bona referens, pro quibus facta est, & in sinum orantis convertitur. Quando oras pro inimico, non solum pro eo rogas, sed etiam pro te; quia ipsa oratio magno cumulo ad te revertitur.

Textiò: Hoc maxime ostenditur ex verbis subjectis à Christo: Ut sitis filii patris vestri, qui est in caelis, qui facit solem suum oriri super bonos, & malos: Quæ verba ponderans D. Cyprianus lib. de Zelo, & Livore, cap. 5. ait: si hominibus letum est, gloriosum filios habere consimiles, & tunc maxime generasse delectat, si

ad Patrem lineamentis paribus soboles successiva respondeat, quanta major in Deo Patre letitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, ut in actibus ejus, & laudibus divina generositas prædicetur: Magna sanè divinæ beneficentiæ locus est, In diligente inimicos generositas divina fitationis perlucet.

43. Quamvis Esau concepto crudeli odio fratrem suum Jacob vellet occidere, in eumque contumeliosa verba jactasset, & comque revertetur Jacob in Mesopotamiam, ad ipsum Esau misit munera; volens cum ipso pacem, & amicitiam inire: & cum dimissis omnibus remansisset solus, Mansit solus: Ecce vir luctabat cum eo: Genes. 31. n. 24. Qui juxta D. Chrysostom. Vir iste erat ipse Deus; sed unde Jacob in tantum sublimatur, ut manus conferat cum Deo, & quasi parem luctatorem Deum nanciscatur: nam qui in luctam descendunt quasi pares habentur: Jacob injurias illatas à fratre non solum condonabat, & ejus amicitiam, ac benevolentiam toto affectu exoptabat; sed insuper multis donis transmissis erga fratrem se largè beneficium declarabat. Qui autem injurias remittit, amorem inimici affectat, insuperque ei benefacit, ita à Deo sublimatur, ut quasi sibi parem, ac valde similem habeat. Favet D. Ambros. lib. 2. de Jacob, cap. 7. ait: Itaque Jacob, qui cor suum ab omni similitudine mundaverat, ut pacificum affectum gereret, postquam præcedunt omnia, solus mansit, & luctatus est cum Deo, qui enim secularia negligit, ad imaginem, similitudinemque Dei propius accedit: Jacob per totam vitam suam præclarissimis virtutibus refulsit; nunquam tamen ad tantam gloriam pervenit, ut Deum haberet patrem luctatorem, ut modo cum injuriantem benevole, ac benefice prosequitur. Ut pacificum affectum gereret, postquam præcedunt omnia, ad imaginem, & similitudinem Dei propius accedit. Vide quæ dixi citato cap. 1. q. 5. n. 39. 40. & q. 14. n. 103. & 104.

43. Qui injuriantem benevole, ac benefice prosequitur. Ut pacificum affectum gereret, postquam præcedunt omnia, ad imaginem, & similitudinem Dei propius accedit. Vide quæ dixi citato cap. 1. q. 5. n. 39. 40. & q. 14. n. 103. & 104.



CAPUT VI.

1. ATTENDITE ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est. 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, 3. Te autem faciente